



DE SACRARVM SCRIPTVRARVM
AVTHORITATE, NECESSITATE, ET VSV;
doctrinali & iudiciario.

ADVERSVS IESVI-
TARVM IMPOSTVRAS,
DISPV TATIONIS PRIMÆ
DAVIDIS PAREI

C E N S V R A.

*In qua ipsius Imposture, à vndeoyisia, & ineptia, breuiter demonstran-
tur.*

*Eam vero propediem, inter huic argumenti cetera, ad publicam Di-
sputationem, pro S. Theologia, Licentia gradu, proponet;*

REVERENDVS ET ERV-
DITVS DOM. CONRADVS DIEL, AR-
tium Liberalium ac Philosophiz Magister; & SS. Theo-
logiz Baccalaureus Formatus; summæ Ædis Mo-
guntinæ Vicarius.

P R A E S I D E

R.P. IOANNNE MVLHVSINO; THVRINGO.
*Societatis Iesu, Theologie Doctore, & Professore
Ordinario.*



M O G V N T I A,
Excudebat Ioannes Albinus, Anno

clo. Io. CIII.

AEQVO ET BENEVO-
LOLECTORI.
CONRADVS DIELS.

Droterūia Ministrorum, in conuellendis fidei principiis, & astruendis manifestis absurditatibus, non ita pridem, occasionem mihi dedit, Disputationis cuiusdam instituendæ, de Sacratū Literarū Interpretē, Normaq; seu Regula fidei, & iudice controversiarū; deq; quæstionibus aliis, cùm eo argumento cohærentibus; quas satis proterue, nuper, in Ratisbonensi Colloquio agitatas, à Prædicantibus constat; & superioribus diebus in quadam disputationicula à Davide Pareo, Caluiniano Ministro. Et refert profectò, iumentutem, in scholis Orthodoxorum probè contra muniri. Cruentis etiam consiliis, & machinationibus, Regum & Principum iugula, passim impetunt Ministri. Vixq; illa iam aula, nefariis eorum insidiis vacat; quæq; bestiæ, de qua D. Iohannes in Apocalypsi prophetat, ministra, non efficeretur; nisi bonorum Regum & Principum, quas excæcare prorsus conantur, mentes, aliquali saltem sua luce, benignus Dominus hactenus collustrasset? Verum, de his viderint, si sapiant Politici. Nostrum est, in Ecclesiis & Scholis, manibus pedibusq; istis pestibus contraire. Nec

Notæ Lector,
que asperiora
sunt, ex Parei
Prefatione contra Ie-
sus, deprō-
ptasunt.

Ministri pro-
terui.

Ministri bo-
nis principib;
imponunt.

A 2 difficilis

E P I S T O L A

difficilis erit labor, modo impudentiam illorum prorsus intolerabilem, circa ipsa fidei principia, mundo demonum tremus. Nam circa haec, illi, maximè se produnt, esse

Ministri veterum germanam veterum hæreticorum fabolem, pessimosque hæreticos, quorum fraudes & imposturæ, quo modo uitandæ sunt, iam ante mille & amplius annos Vini. Quomodo ille centius Lyrinensis demonstrauit his verbis. Sed dicit aliquid: Si diuinis eloquiis, sententiis, promissionibus, & diabolus & discipuli eius utuntur, quorum alijs sunt Pseudo. Apostoli, & Pseudo-Magistri, & omnes ex toto heretici, quid facient Catholici homines, & MATRIS ECCLÆ filij? quoniam modo, in scripturis sanctis, veritatem à falsitate discernent? Hoc scilicet facere magnopere curabunt, quod in principio Cōmonitoryj istius sanctorum & doctos viros nobis TRADIDISSE scripsimus; ut diuinum Canonem, secundum UNIVERSALIS ECCLÆ TRADITIONES, & iuxta Catholici dogmatis REGULAS interpretentur. Ex

Ministros omnem certamen ex scripturis cludere mani festè probatur. quibus manifestè conspicitur, Ministros esse, qui hodie omne ex scripturis certamen eludunt, cum diuinum Canonem, non secundum UNIVERSALIS ECCLÆ TRADITIONES, & iuxta Catholici dogmatis REGULAS interpretentur; sed pro capitularum in tis sui malefici, vertiginoso cerebro; dum se scripturæ, & interpretatio- nis iudex. rarum quisque & interpretem, & interpretationis suæ, infallibilem iudicem constituit. Et quid aliud, ista agendi ratione moliuntur, quam vt diuinas paginas, sive Ecclesiæ, hoc est, omnium malorum, quibus Christianus orbis hodie premitur & ingemiscit, Lernæ (in qua ipsi tanquam bestie turpisima cauda cminent.)

sub-

A D L E C T O R E M.

subiiciant? Hanc in rem, quantum ex ipsius prima Disputatione, quā nuperiūmē edidit, iudicare licet, maiorem, quam pro viribus & ingenio, conatum & operam, Pareus etiam pollicetur; cuius, qualis Theologia, in duabus sequentibus, quas publicē discutendas proponet, Disputationibus, futura sit; ex iis intelleges, quā succintius hīc pertractata, fusiūs, in illa, quam dixi, de scripturarum interprete, NORMA FIDEI, & controuersiarum iudice, disceptatione, differuntur, quam iam iam in lucem paro; bona interim conceptā spe, fore, vt vbi immoderatior disputandi fero in Pareo nonnihil subsederit, is longē mitius cum Iesuitis auctorū sit. Licet enim in Disputationis suæ Præfatione, mendacem admodum, illorum reprehensionem & accusationem, proponat: in conclusione tamen, iustissimam eorundem laudem & commendationem fusè prosequitur. Fatetur enim apertè, quod tantum abest, haec tenus persuaderi Euangelicos potuisse, vt contrarium prorsus, innumeris propemodum, relationibus, assertionibus, Epistolis, carminibus, (vt conciones, aliasque circumuolitantes chartas omittam) per orbem terrarum uniuersum, dispergere conati sint: fatetur, inquam, (thesi 118.) vnicō suo argimento, quod voluerunt (id est, scripturam sacram, solam, non esse Normam fidei & dogmatum) Iesuitas obtinuisse Ratisbonæ; hoc ipso, quod illorum Antagonistæ (argumentis vtiq; compulsi) concederint, dogma de scripturis Canonicis, non ex Dei verbo scripto, sed ex Ecclesiæ TRADITIONE constare. Magnam illius veritatis lucem esse necesse est, quam tandem etiam tam densæ & opacæ

Pareus audacior videtur; quam pro vi-ribus.

Pareus impu-
dens, in prefa-
tione sua, me-
dax est.

Commendat
Iesuitas inui-
tus; dum Lu-
theranos, fra-
tres suos, car-
pit.

Iesuite, Rati-
bonæ, contra-
Lutheranos,
obtinuerunt
victoriam,

Pareo teste.

E P I S T O L A

Pareus expone
nit se inuidice
periculo, pro-
pter Iesuita-
rum honorē.

mendaciotum nubes ipsæ, in omnium oculos, effun-
dere coguntur. Quam verò timeo, ne Iesuitarum
causā, malam gratiam apud Symmystas, & confratres
suos Lutheranos, Pareus ineat; quod tam insignem
contra ipatos victoriam, cum perpetuo Lutherani no-
minis dedecore, Iesuitis concedat? Quam actum be-
nè cum Hunnio, quod ex hac vita eruptus sit, ante-

Hunnii tem-
pestiuam mors.
Hailbrunne-
ti

quam tantâ infamiâ ipsius tanto illo in opere, lacini-
osæ declamationes & dictationes, aspergerentur:

Imprudentia Hailbrunnerus fecit, quod in
suæ Disputationis collegam, non adoptarit Pareum,

qui, statim atq; syllogismi Iesitarum, qui tum agita-
batur, maiorem propositionem negasset; cum sum-

Quid potius
fecit Pareus Ra-
tisbonæ effi-
cere.

mâ sui admiratione, totiusque Caluiniani Ministe-
rii, mirabili commendatione; omnes esuitas, conti-

nuò, mutos, elingues, effecisset. Sed, quod tum ne-
glectum per Lutheranos est; nos instaurare iam non
possimus; Disputationem igitur Parei diligenter in-
spiciamus; vt, si quid forte in illa lateat, quod in ipsius
laudem vicissim produci possit in medium, id nullo
modo prætermittatur. Quatuor verò quæstiunculis,
tota disceptatio distinguetur.


1. Vnde nam scripturas sacras, diuinam & Canonicam au-
thoritatem habeant?
2. Vnde constet; scripturas sacras, in generali & in par-
ticulari esse diuinas, & illorum authorum, quibus adscri-
buntur?
3. An fide historica tantum, an & iustificante credamus,
scripturas alias esse Canonicas & diuinias, alias non?
4. An dogma de libris Canonicis, in generali & in par-
ticulari, sit articulus fidei, nec non?

In

In his questionibus explicandis, tam perfuncto-
riè, & pueriliter versatur Pareus, vt, ait disputare, vel ^{Pareus gra-}
nugari propositum ipsi fuerit, equidem diuinare non ^{ues, quæstio-}
possim. Quod si illi res cordi est, ne se importunè vo-
catum quiritetur, quandoeunq; commodum ipsi
fuerit, veniat; quo scunq; volet, adducat; nostram hāc
Disputationis ipsius censuram, (quam cum aliis de
scripturarum interprete; Norma fidei; indiceq; con-
trouersiarum thesibus propediem disputandam pro-
ponemus) acerrimè, siue publicè, siue priuatim, im-
pugnaturus. Nunquam nos improvisè vocari cau-
bimur; nunquam pugnam detrectabimus. Interim
tu, Lector, vale; & ex eos illos, cæcorumque duces, si-
sapias, deuita.. Moguntia. 12. Septemb. 1603.

^{nespueriliter}
^{tractat.}

^{Pareus voca-}
^{tur ad Dispu-}
^{tationē, quan-}
^{docunque il-}
^{le fuerit in-}
^{tegrum.}



CEN-



CENSVRÆ DIS- PVTATIONIS, DA- VIDIS PAREI; THESIS

I.

IRCA primam quæstionem, thesibus aliquot, Catholicos exagitat, sub Papistarum descripturæ nomine; quod sacras literas, partim diuinam, partim Canonicam authoritatem (id est, quod Regula fidei sint) non ab ipso Deo, sed ab ecclesiis doceant accepisse. Hic certè, in ipso vestibulo, si liberet, Pareum Impostorem appellare, iure multò maiori id possem, quam ipse Disputationem suam, aduersus Iesuitarum Imposturas inscripsit.

Pareus Impo-
ster.

Nullus Ca-
tholicorum
dicit, quod
Pareus illis
affingit.

Nullus enim est Catholicus, nullus; quin, sacro sanctas istas paginas, utramque authoritatem, simpliciter, à solo Deo, accepisse fateatur. Tantum igitur hoc volunt Catholici, quinam libri eiusmodi à Deo authoritatem habeant, non esse Arij, Eunomij, Macedonij, Lutheri, Caluini, vel cuiusvis alterius priuati discernere & declarare; sed solius Ecclesiæ, *qua columnæ & firmamentum est veritatis*. Itaque sacri libri, in se diuini sunt, & Canonici; eos tamen ut tales nobis propone-re, & à non diuinis & non Canonicis discernere, soli us Eccle-

i. Quæstio vñ
sacræ diuinā
& Canonicā
habeant au-
tem.

Libri sacri,
ante Ecclesiæ
iudicium sūt
diuini & Ca-
nonici.

i. Timor.

us Ecclesiæ munus est. Hoc Eckius contendit, staphletonus & alii, quos traducit Pareus. Et quid pluribus opus est? Nonquid Pareus fatetur (non magis tamen quid dicat, intelligens, quam si vel psittacus, vel pica loquatur) Ecclesiam discernendi & declarandi Canonem à Deo acceptum, potestatem habere? (thesi 13.) & quid aliud censem Catholici? mera igitur Iesuitas calumniandi libido, impostorem hunc transuersum agit. Sed pergo.

Pareus seipsū
non intelligit.

Ex calumni-
andi libidine
Impostorem
agit.

II.

Secunda igitur quaestio est, (thesi 20.) unde constet sacras scripturas in generali & in particulari, esse diuinæ,

D. Hieron. & esse illorum authorum quibus adscribuntur. Respondet

præfat. in Iu-lesuitæ, cum totius orbis terræ Catholicis. Id ex Ec-

dith. Epist. III. clesiæ TRADITIONE constare. Hoc responsum,

Basilii libr. de Spir. san- si Impostorum est, Impostor Ambrosius est; Impostor

et. ca. 27, A- Augustinus; Impostor Hieronymus; Impostores qui

thanasius in hos anteceperunt; Basilius, Athanasius, Eusebius

Synop. de A. Cæsariensis, Origenes, Clemens Alexandrinus, mit-

pocalypsi Eu- feb. lib. 3. hist. cap. 19. Orig. to cæteros. Vnde Salomonis canticum quod tene-

apud eundem mus; Canonicum esse, cætera quæ cecinisse dicitur

libr. 6. cap. 18. idem Salomon, Apocrypha censuit Ambrosius? ex

Clemens A- lexand. lib. 7. eo, quod Ecclesia hoc receperit, reliqua repudiarit.

stromat. vide (Tom. 4. præfat. in Psal. similia eodem tom. serm. 22.

D. August. li- in Psal. 118. & To. 5. in enarratio. Proœmii secundū

33. contra Feu. fustum cap. 6. & Lucam) Apostolorum actus, an non ex Ecclesiæ de-

contra Epist. declaratione canonicos agnouit D. Augustinus? cui li

Fundamenti cap. 5. &c. bro, necesse est, inquit, me credere, si credo Euangelio; cum v-

Contra epist. Fundamenti. tramq; scripturam similiter mihi Catolica commendet au-

cap. 5. Tom. 6. thoritas. Tam ne obliuiosus Pareus est, vt non me-

D. Augusti. nus credit scripturas es-

se diuinæ,

quia Ecclesia,

vt tales pro-

B

minerit ponit.

Pareus Impo-
stor.

minerit amplius quod idem S. Doctor ibidem scri-
ptum reliquit: *Ego Euangelio non crederem, nisi me Catho-
lica Ecclesiae commoueret authoritas?* At, inquit, Augusti-
num adhuc *Manichaum, Ecclesia Catholicae authori-
tate commotum credidisse Euangelio, factum verum Ca-
tholicum iam non amplius ob Ecclesiae autoritatem.*
(thesi 61.) *Quis Impostor est, si Pareus non est? An
Catholicus nondum erat Augustinus, quando dice-
bat; Cui libro (actuum Apostolorum) necesse est me crede-
re, si credo Euangelio; cum utramque scripturam similiter mihi
Catholica commendet authoritas?* Non minus perspicua,
ex aliis citatis Patribus testimonia pro verissimâ Ca-
tholicorum sententia adducere possem. Sed festino.
phantasie nullum habuimus taltem, protulisset Pareus ex tota Antiquita-
te authorem, te, qui ex solo verbo scripto, scripturarum Canonem
ix antiquum designasset.

III.

Pareus impo-
nit D. Augu-
stino.

Trita est hodie Iesuitarum cantilena, inquit Pa-
reus, unde scis, scripturas esse diuinias, & Euangelium
Matthaei esse Matthaei? (thesi 21.) Nos primò quæstio-
nem unde scis, ut curiosam & impiam explodendam ex-
Ecclesia iudicamus, cum Augustino sic confitente: per-
suasisti mihi (ô Deus) non qui crederent libris tuis, quos tan-
ta in omnibus ferè gentibus autoritate FVNDASTI, sed
qui non crederent, esse culpados: nec audiendos esse, si qui for-
tè mihi dicarent: Vnde scis, illos libros unius veri & ve-
racissimi Dei spiritu esse humano generi ministratos? (thesi
23.) nolo tempus in nugis conterere, cundem Augu-
stinum de utilitate credendi ad honoratum contra
naturali com-
prehenderem.

B 2

Mani-

Manichæos legitio, eosq; inuenies Caluinianis simillimos, nihil credere voluisse, nisi ratione demonstratū. Hinc ita D. Augustinus alloquitur Honoratum. *Est* igitur mihi propositum, ut probem tibi, si possum, quod Manichæi sacrilegè & temerè inuochantur in eos, qui Catholicæ fidei authoritatem sequentes, antequam illud verum, quod puramente conspicitur, intueri queant, credendo, premuniuntur, & illuminaturo, præparantur Deo. Nostri enim Honorati, non aliam ob causam, nos in tales homines incidisse, nisi quod se dicebant, **T E R R I B I L I A V T H O R I T A T E** (Ecclesiæ Manichæi cōtemnebant Catholicæ) separata, mira & simplici ratione eos, qui se audire vellent, introducuros ad Deum, & errore omni liberatos. & paulò post. Tu (Honoratus) nondum Christianus, qui hortatu meo, cum eos (Manichæos) uellementer execrari, vix adductius es, ut audiendi tibi atq; explorandi videbentur; quā quoſo alia re delectatus es, recordare obsecro te, nisi magna quadā presumptione, ac pollicitatione rationum, &c. Hos igitur obgannientes sibi (vobis simillimos.) tergiueratores; **V N D E S C I S**, illas libros unius veri & veracissimi Dei spiritu esse humano generi ministratos? S. Augustinus audire nolebat, sciens vtq; nulla humana & naturali ratione id demonstrari posse, q; ex solius Ecclesiæ Catholicæ authoritate, sibi discendum no-
uerat.

IV.

Deinde, si quæſtio illa, **V N D E S C I S curiosa** & Pareus inepiā impia est, cui Pareus omnes scripturæ angulos tāan- & curiosarū & impiarū questionum solutiones in xiē & follicitè perſcrutatur & executit, (à theſi 41.) vt eius solutionem, (quæ nusquam in illis eſt.) inueniat? Nunquid Apostoli & Prophetæ, in curiosis & impiis quæſtionib. diſſoluēdis occupati fuere, vt apud ipsos

CE N S V R A D I S P V T A T
olim Pareus Impostor earundem dissolutiones qua-
ritaret? Apage.

V.

Pareus SS.

PP. sententi-
am, vocat fal-
sam, impiam,
perniciosem,
&c.

Pergit Pareus. *Sententiam Jesuitarum* (quæ scili-
cet scripturæ ab ipso solo Deo, authoritatem habe-
ant quæ non ex Ecclesiæ id declarantis authoritate
constare debere.) *falsam, impiam, perniciosem, absur-
dam, & dōubtav esse pronunciamus.* (thesi 25.) Bona
verba quæ so. Nunquid eandem sententiam Ambro-
sij, Augustini, Hieronymi & aliorum Patrum fuisse
iam ante monstrauit? Sed quare tam grauem censu-
ram meretur illa Sanctorum sententia? Multa Pare-
us ingerit (à thesi 26. usque 41.) summa omnium est;
*Quia diuinam authoritatem, rationi & authoritati hu-
mane & fallibili, sententia illa subiicit; quod impium
est, perniciosem, absurdum, &c. dabit puto, pro sua
modestia, mihi veniam Pareus, si verbis ipsius utar,*
Pareus men-
dax crassus &
blasphemus.
*nominibus solum Bellarmini & Parei commutatis;
nititur hæc ratio, crasso & blasphemico mendacio,* (thesi
35.) nempe Ecclesiæ authoritatem, purè humanam &
fallibilem esse; contra D. Paulum, qui eam *columnam*^{1. Timot. 3.}
& firmamentum veritatis appellat; contra Christi verba,^{Ioan. 14. & 16.}
qui spiritum veritatis illi promisit, &c.

VI.

Pareus ridi-
culus.

Verum, ut ad quæstionem propositam (inquit Pareus)
fit planior atque solidior nostra responso, &c.
(thesi 41.) Ridiculus videri posset alicui Pareus, qui
ad impiam & curiosam quæstionem, planam & soli-
cam, tanto molimine responsum adornat. Audia-
tur tamen.

Rude

Vnde ergo scis, scripturas sacras esse diuinas? ijsdem propositus argumentis, nobis hodie constare dicimus, scripturas esse diuinias, inquit, quibus omnibus Ecclesiæ Israelicæ atque Apostolicæ constabat, (thesi 41.) Ea argumenta erant, partim in personis docentium atque scriptientium, partim in doctrina, partim in doctrina effectis. (thesi 42.) In personis erat diuina vocatio, missio, & inspiratio &c. de his (iam est) scriptura ipsa testatur, in singulis propè librorū vestibulis, nomina & vocationē diuinam, Prophetarum & Apostolarum exprimens, Ut vi-sio Iesiae, &c. Verbum Iehovæ, quod fuit ad Hoseam, &c. Paulus seruus Iesu Christi, vocatus non ab hominibus. At, mi Paree, nisi prius veteris & noui testamenti libros istos Canonicos & diuinos credideris, qui credentes Catholicâ fide, verum esse, quod in istorum librorum vestibulis inscribitur; nempe. *Hosea verbum esse Iohouæ verbum. & Paulum non vocatum ab hominibus.* An tu non credis ista, quia credis scripturas Canonicas & diuinias esse, quæ asserunt ista? Prius ergo scripturas illas diuinas credis, quæ ex illa inscriptione, *Hosea verbum Iohouæ verbum* credas, & Pauli vocationem non ab hominibus.

Hi vel illi libri, inscripti sunt Prophetarum vel Apostolorum nominibus: ergo sunt diuinæ & Canonici. In epistola Parei consequentia: est Parei con-

VII.

Eiusdem est sapientiæ, quod à thesi 45. de criticiis dicitur quibus ἀνετίθηται (id est, quæ certialicuius Prophetæ vel Apostoli nomine non sunt insignita) cognosci debeat pro Canonis. Sunt enim ea criticia in ipsa doctrina 1. doctrina genus diuinum, 2. stylus

B 3

diuinus

CENSURA DISPUTAT.

diuinī maiestas. 3. doctrinæ diuinus cōsensus (thesi 45.)

Pareū doctrinæ effectus. (thesi 54. 55. 56. 57. Verborum

Imposturæ sunt illa tantum, quibus ne mica quidem
solidæ constantisq; doctrinæ substernitur. Vtrum scri-
pturæ diuinæ sint, expendendum vult Pareus ex illa-
rum doctrina; hæc si diuinia fuerit, erunt & scripturæ.

& circulos. nū quid hoc tale est, ac si quis dicat, vt no-

Pareus pro-
bat niue-
se candidam,
quia est alba.

ris, nū candida nix sic, expendendū est diligenter, an
ipsius substantia sit alba? Sacræ literæ, & diuinum do-
ctrinæ genus aduersario Synonyma sunt, neq; enim
yllam admittrit diuinam doctrinam, quæ sacrarum li-
teraturum non sit doctrina, & tamen ex diuina doctri-
na vult sacras argui literas, id est, $\tau\acute{e}\varphi\mathcal{G}$. ensē esse de-
monstrare, quia gladius est.

VIII.

Pareus inep-
te probat ex
critirii qui
libri sīnt diui-
ni.

Cognoscatur tamen scripturas esse sacras ex do-
ctrinæ genere, ipsumq; doctrinæ genus, (quod vult Pa-
reus.) 1. ex rerum magnitudine. 2. ex puritate & inte-
gritate legis. 3. ex concione Euangelij, de gratuita re-
missione peccatorum. & regeneratione propter $\lambda\bar{\eta}\gamma\sigma\pi$.

MEDIATORIS. 4. ex scopo doctrinæ, qui est Dei glo-

ria, nostraq; salutis. (thesi. 47. 48. 49. 50. 51.) Quæro ex

Quæ res sīnt
veræ magnæ, Pareo, vnde res, quas scripturæ sacræ commendant,
quæ lex inte-
gra; quodae-
ceptandum integrum; vnde acceptandum de gratuita peccato-
rum remissione Euangeliū; totiusq; diuinæ doctri-
næ scopum, esse Dei gloriam & animarum nostrarum
salutem; nisi prius verbo Dei scripto, ex quo solo, ipsi-
lo verbo Dei, prius credito us senrentiā, omnium istorum vera pendet notitia,
cēdūt credidisset.

IX

IX.

Deinde, num aliqua scriptura res magnas, legem integrum, concessionem Euangelicam, proponat; collimetuē ad propositum nobis scopum Dei scilicet gloriam & animarum nostrarū salutem, quis erit iudex? Si priuat^o aliquis vt Arius, Eunomius, Lutherus, Calvinus, similis, quid certi habebimus de libris Canonici? Nunquid, (vt veteres omittam, hæreticos.) vester Patriarcha Lutherus, Epistolam Iacobi, Iudæ, Pauli ad Hebreos, & Apocalypsin reiecit ex Canone, quod ipsi res non satis magnas, & Apostolis dignas neque Euangelicas conciones, continere viderentur; neque ad scopum gloriae Dei, & animarum nostrarum salutem collimare? Si vero critiorum istorū æstimatio, non ad priuatū aliquē, sed ad publicam authoritatē pertineat, vt certa sit, eritne illa alia, quam Ecclesiæ.

X.

Et cum similem prorsus Théologiam *styli Propheticæ et Apostolici, doctrinæq; consensus critirion, et effectuum argumentum complectatur* (à thesi 52. vsque ad 57.) de quibus vniuersis eodem modo sciscitari licet, quisnam illorū infallibilis iudex esse debeat; priuatusne aliquis homo, an publica authoritas, &c. neque vnquam acquiescere possimus, nisi totum critiriorum illud iudicium, Ecclesiæ Christi vere, committatur; ad tertiam Parei quæstionem veniamus.

XI.

Tertia quæstio est; verum fide historica tantum, an & insufficiant credamus, scripturas alias esse diuinæ & Canonicas alias non? (thesi 68.) Pareus vt impostorema decet, *Pareus Impo*
Rer. Jesuitas ait, hac in re ambiguitate lusisse, (thesi 72.)

Nullus priuatus potest infallibiliter iudicare, quinā libri Euangelicas conciones proponat & ad verum scopum colliment.

Lutherus per Parei critirria, multos libros diuinos sustulit ex canone. Critiriorum æstimatio pertinet ad Ecclesiæ lum.

Quis stylus Propheticus vel Apostolicus quis non &c. Ecclesia sola potest infallibiliter iudicare.

At quænam ista ambiguitas? An non aperte dixerūt, (quod ipse met eadem thesi fatetur.) ~~eadem id fide~~ credendum, qua sanctissimum incarnationis mysterium credimus.

XII.

Nos, inquit, respondemus per distinctionem, ab hypocritis, quin, & à Iudeis, ipsisq; dæmonijs, credi tantum fide historicâ, à fidelibus autē recte q; institutis, fide historicâ & saluificâ simul, quandoquidem hi, non solum credunt Biblia esse verbum Dei, sed etiam credunt esse diuinitus in suam salutē reuelata & exarata (thesi 72.)

Pareus ambi-
guitate ludit.

Nunquid h̄c Pareus ambiguitate ludit? quid intelligit per *hypocritas*? si diuinare licet, eos omnes, qui cum Christianam religionem profitantur, recte tamē instituti non sunt; id est Caluini somnia, non amplectuntur. Quid ergo misellis fiet Lutheranis? Hypocitarū scilicet, Iudæorum, & dæmonū fide: Hypocitarum, Iudæorum, & dæmonum iustitiam apprehendentes, eodem cum ipsis cælo suscipientur. Quod si per *hypocritas* Christiani nominis homines, peccatores tamen magnos intelligat, quomodo Caluiniani, qui in Catholicos tam pudenda, horrendaque spargunt menda- Pareus in pre-
fat.

Quinam vide-
antur Pareo
recte institu-
ti.

XIII.

Catholicos
Romanos re-
cte institutos
esse, proba-
tur.

Sed h̄c iam omitto. Atq; vt Catholicos recte institutos videat Pareus, hi credunt, non solum Biblia esse verbum Dei, sed etiam credunt, esse diuinitus in suam salutem reuelata & exarata, idq; fide Catholica & saluifica quæ vna & eadem, miraculorum, historica, iustificās, diuerso respectu potest appellari. Cetera quæ hic fusius inculcat

cat Pareus, ne sim longior, lubens prætereo; quod pa-
rum aut nihil ad rem pertineant.

XIV.

Quæstion.

Ad quartam igitur quæstionem veniamus, ea est *An dogma de libris Canonici in generali & in particuliari loquuntur.* *Articulus fiduciae non est* (thesi 84.) Fatetur Pareus, quod negare non potest, respondisse Iesuitas, scripturam, tam in generali quam in particulari esse diuinam & Canonicam fidem Catholica articulum censendum, thesi 88.) Reclamè qui-
dem: nihil enim fide Catholica creditur, nisi eiusdem fidei obiectum, vel obiecti particula, quam articulum fidei, generalius accepto vocabulo dici, quid obstat? cum igitur scripturas esse Canonicas & diuinias fide Catholica credenda assuerunt ante Iesuitæ, cur nō etiam eiusdem fidei articulum quendam hoc dogma dicerent? Nihil hic obscuritatis, imposturæ nihil.

XV.

Quid iam hic Pareus? videtur datâ operâ absurditas omnes, in hanc ultimâ quæstionē, quasi ad per-
orandum seruasse. *Nos primū respondemus, si proprium loquendum sit, dogma de scripturis Canonicis, non esse articulum fidei.* (ita thesi 89.) Quid verò postea? *Specie aliter verò & propriè articuli fidei dicuntur, dogmata Euangeli, quæ symbolo Apostolico continentur, & vulgo duodecim numerantur (thesi 107.) & hoc etiam sensu dogma de Canone articulum fidei, non diffitemur.* (thesi 108.) vide quo Pareum Iesuitas cauillandi stu-
dium abducat, ut scilicet pauculis versibus interposi-
tis, has duas propositiones affirmet.

C

Dogma

Pareus absurditas
dictates servat
ad perorandumPareus ex ea
cauillandi stu-
dio sibi ipsi
contradicit.

10 CENSURA DISPUTAT. I

Dogma de Canonc. est propriè articulus fidei
(thesi 108.)

Dogma de Canone, non est propriè articulus
fidei (thesi 89. & 93.)

XVI.

Condonandum est Pareo, quod noster patens Con-
lus aduertat. Plus enim vident oculis quam oculis.
percurramus reliqua citat D. Thomas Aquinatorem
(thesi 90) Hunc utrum legerit dubito, locū enim nō
Pareus non intelligit du-
lē notauit. Quod non intellexerit cōtus suū a Sane-
as D. Thomae inquit D. Thomas, Doctrina, effscientia, qui apud nos dicitur
Aquinatis li- principiis nostris lumine superioris scientia, que scilicet est scien-
tias & citas tia Dei & beatorum. id est, Theologia utitur principiis à
tamen illum, p. q. i. arc. 2. Vide caet. nō nobis tantum creditis, à Deo verò & beatis clarè &
Franciscum distinctè cognitis, vñy. g. quod Deus unus sit in essen-
Zumel. Lu- tia, Trinus in personis. Quod ab ēterno nos dilexit et
do Vic. Mol- Quod sacerorum Bibliorum quæ tenemus, ipse sit au-
nam: Gregor. de Valent. tor.
geros.

XVII.

Hæc, inquam, & similia principia fidei Catholica tan-
tum credimus, qā naturali ratione demonstrari nul-
lo modo possunt; & ex illis creditis, per Theologie-
habitum, de quo S. Thomas loquitur conclusiones
deducimus. Sed, nūquid etiam beati, & Deus illa cre-
Pareus ex iis dunt, vt Pareus interpretatur? An aeternum illud hu-
morantia- men perfidem ambulat, & per speculum in enigmate
Scholastice videt? absit à Christianis; illa Parei blasphemia.
Theologis-
sie blasphem-
ia in Deum

XVIII.

Sed nolo minutias omnes persequi: hoc peto,
quando ea, quæ Pareus primum principia, & deinde
etiam (thesi 108.) cum Catholicis articulos fidei, vocat;
quam-

DAVIDIS PAREI

quantum ad nō om̄ à rudibus credi vult, ex ministerio & testificatione Ecclesiae (thesi 92.) de quanam fide loquitur humana ne, vel diuina & Catholicā: si de humānā, ergo quacunq; rudiores illorum principiorum vi credunt, humanā solum fide credunt. ergo omnes intereunt. Si de diuina. potestne Ecclesiae testificatio & authoritas, ad fidem diuinam & Catholicam fundandam, in rudibus esse sufficiens.

Pareus Christianos rudi-
ores omnes
damnat, nisi
Ecclesiae au-
thoritatem
ad Catholicā
fidem fun-
dādam suffi-
cere conce-
dat.

XIX.

Sed dimittamus rudos, loquiamur de Pareo & politioribus, hi enim quantum ad nō dion firmitur sciunt & credunt, Biblia esse sacram scripturam, non ex autoritate & testificatione Ecclesiae, sed ex internis critirius (thesi 93.) cum nō dion propter quid significet & ex Arist. 2. post. cap. 2. & omnibus recte Philosopheribus, causam petat, in quo causæ genere critiria illa, firmam & exactam articulorum fidei cognitionem pariunt?

XX.

Quid iam sequitur? Hinc patet, inquit, dogma de quo queritur, propriè nō articulum fidei, sed principium esse Theologicæ scientiæ & fidei, proinde Sophistas il lud in dubium vocantes, minime audiendos sed explodēdos esse, quia cum negantibus principia, non est disputandum (thesi 95.) Non satis intelligo, quos hoc in loco Sophistas vocet Pareus. si lesuitas, vt aliâs semper in hac Disputatione, timeo certè, ne cerebrum amiserit. Nam dogma de quo queritur est hoc; scriptura tam in generali quam in particulari esse diuinam & Canonicam,

Pareus, si per Sophistas h̄c lesuitas intel- ligat, impo- store est & me- dax.

Iesuitæ nus-
quam nega-
runt, scriptu-
ram tam in
generali quā
in particulari
esse divinam
& Canonico-
nam fidei
Catholice
articulum
confundere
Idem, diverso
& articulus
& principi-
um fidei po-
test appellari.

fidei Catholicae articulus. Num hoc negarunt vsipiam?
vel in dubium vocarunt Iesuitæ ut proinde audiendi
non sint, sed explodendi, neq; cum illis disputandū?
Illi igitur sophystæ Lutherani fuerint. At, nolunt le-
suitsæ dogma illud primum principium nominati. V-
bi vero illud prorsus negarunt? quasi articuli princi-
piique fidei nomen, eidem dogmati, diuerso respe-
ctu, conuenire nequeat. Imò, quomodo dogma illud
primum principiū dici posset, ex Pareo rogarem; si,
quantum ad mō dñm ex critirīs pendeat. Ah n̄ dñm
in primorum principiorum demonstrationem, per
Pareum admittitur?

XXI.

Pareus som-
niat se proba-
re, quod nun-
quā probat.

*Istæ porro à thesi 100. vsq; ad 107. ratiunculæ,
quibus dogma de quo disputatur, partim in scriptura.
disertè contineri, partim cuiusdenter inde deduci ja-
titat, nihil minus, quam quod Pareus sibi persuadet
efficiūt: Moy sen & Prophetas διορθωσεις esse, quis dit-
bitat! frequentia etiam h̄c de re testimonia, in novo
testamento, (quod vt Canonicum libenter amplecti-
m) extare, nemo negat. Sed hoc quæritur; an ex no-
ni testamenti testificatione vetus Canonicum credere possit,*

*qui non prius, Non i testificationem Canonicam iudicet? Pri-
us igitur Nouum, Canonicum agnoscat necesse est,
quam illius, de veteri, testificationi adstipuletur. Un-
de verò hoc, si critiriorum somnium illud dispella-
mus, certò constabit, nisi ex Ecclesie, qua columnæ & fir-
mamentum veritatis es, spirituq; sancto perpetuo regi-
tur & gubernatur testificatione?*

XXII.

Mitto huius farinæ plura. Solumq; duo postrē-
ma

ma & opipit quæ inter cæterâ fit miter ex his quæ dixerat Pareus deduci scribit expendo. Quinto (sequitur scilicet) quod non satis caute negatum fuerit, ab eorum (lesuitarum) Antagonista (Ratisbonæ) id esse artificium fidei, sine generaliter sine specialiter. (thesi 107.) Assentior Pareo, addoq; non minus impiè, quam incautè, negatum fuisse, quod nobis vicissim assentetur, ut puto, Pareus, Pergit vero, magis incaute concessum, id haberet ex TRADITONE SIVE testificaliōne Ecclesiæ (thesi 107.) quam obrem? Si enim tantum, vel præcipue ex traditione seu testificatione Ecclesiæ id crederemus, utiq; principiū fidei immo tota fides nostra miseretur testimonio Ecclesiæ, scriptura vera non esset Unica NORMA fidei & dogmatum, & sic haberent aduersarij (lesuitæ) quod volebant; (inquit Pareus) ita protius est, neq; aliud hic expectabam à Pareo (cum Christi Ecclesiæ filium se profiteatur) quam ut subsumeret:

Verum autem est antecedens:

Ergo & consequens.

XXIII.

At, inquit Pareus, fides nostra tota, sola nitor divina authoritate. Quis Catholicus hoc negat? Credimus enim & propter Dei, & propter Ecclesiæ autoritatē. Propter Dei autoritatē simpliciter & formaliter, (vt in scholis loquitur.) Hæc enim authoritas est à qua primò fides oritur, & in quam ultimò tesoluitur. Ecclesiæ vero ut à spiritu sancto gubernaram, infer*dendum*: reuelasse.

Lutherani
non potuerunt
lesuitas
respondere
Ratisbonæ,
ex Parei testi-
monio..

Pareo teste
obtinuerunt
lesuitas in
Ratisbonæ
fidelio quicq;
quod vole-
bant.

Fides Catho-
lica, nitor
sola diuina
authoritates
Ecclesiæ pro-
positio, & re-
rum creden-
darum declara-
tio, & CON-
firatio, sine
Q[uod] nos po-
sitemus in-
fallibiliter;
erendum:
reuelasse.

libilem, ea quæ Deus reuelauit proponendi authoritatem & potestatem à capite suo & sponso Christo accepisse, cum columna & firmamentū veritatis sit, nunquid negabit Pareus? Credimus igitur res, propter Dei authoritatem, quia illa infallibiliter vera sunt. credimus propter Ecclesię authoritatem, quia illa est Dei instrumentum & organum à spiritu sancto motum, infallibiliter ea quæ Deus dicit, *NOBIS* proponit. Estigitur Dei authoritas, credendi suprema ratio, Ecclesię authoritas, sine qua *NOBIS* quæ Deus reuelauit, non satis constarent, *CONDITIO*. Hinc D. Augustinus. D. August. e. p. fund. cap. 5. Tom. 6.
*Evangeliō non crederem, nisi me Catholica Ecclesia commo-
 queret authoritas.*

XXIV.

Concludit vero Disputationem Patens, hinc in modum. Deniq; sequitur schilicet, quod in Iesuitorum argumento tunc agitatur:

*Dogma de scripturis Canonici, nō continetur in scripturis:
 Dogma illud est Catholica fide credendum: & est articulus fidei:*

Ergo quedam Catholica fide credenda, & quidem articuli fidei non continentur in scripturis, & per consequens scripturae non sunt unica Norma.

Non minor neganda fuerit, (quod Antagonistæ eorum reprobant,) sed maior propositio. Dogma videlicet, de scripturis Canonici non contineri in scripturis. Rectè nobiscum rudes illos Prædicantes, Pareus reprehendit; quod istius syllogismi minorem propositionem negant; quæ vnum vel ex principiis fidei Christianæ fundamentis, continet; quo conuulso, tota nostram religio-

Pareus recte
reprehendit
Lutheranos;
in autos &
impios.

religionem nutare necesse est: quo vero iure, negat ipse maiores: *ostensum est*, inquit, *illud in scripturis contineri, partim disertè, partim consequentia*. Vbi vero hoc ostensum est? Putat Parcus se dogma hoc in scripturis disertè contineri demonstrasse, quando thesi 43. & sequentibus; & 101. & sequentibus.) plerisque libros sacros Prophetarum & Apostolorum nominibus inscriptos ostendit. Fallitur. Vnde recte libros illos, ea præ se ferre nomina didicit, nisi quia libros esse Canonicos prius credidit? Quomodo vero ostendit, consequenter dogma illud, de libris Canonis, in scripturis contineri? Quia locis citatis ex critiriis id evidenter deduxerat. Fallitur multò magis, vt qui nec diuina, nec sancta, nec omnia vera, quæ scripturis continentur iudicare posset, nisi prius scripturas illas, diuinum esse verbum credidisset?

XXV.

Manet ergo syllogismus illius fuitarum, ut Lutheranis, ita & Caluinianis infolubilis.

Dogma de scripturis Canonis, non continetur in scripturis:
Dogma illud est Catholica fide credenda, & est articulus fidei:

Ergo quadam Catholica fide credenda & quidam articuli fidei non continentur in scripturis.

Et per consequens scriptura, non sunt unica Norma.
Nec video, cur potius Parcus maiorem, quam Lutherani minorem negent; nisi forte, quod ipse maior sit tergiuerator, illi minores.

Laus D E O. Diuæque Virgini, in cuius Natiuitatis sacre die, primatum, nobis, tantas ingenii D. Parei opes, inspicere licuit.

F I N I S.

Syllogismus
Catholicon
non minus
Caluinianis
ministris, quæ
Lutheranis
infolubilis